



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi Thomae

Cvm Variis Indicibus

De Deo Effectore, Creaturarvm Omnium Tractatus II. De Opere Sex
Diervm, Ac Tertivs De Anima

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1622

VI. An appetitus sensitivus subdatur motioni partis rationalis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93575](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93575)

afferre, quod nigri sit coloris, nam sicut tenebræ exteriores metum incutunt, ita melancholia: idem repetit lib. de causis symptomatum, ca. vii. mo. Quæ ratio friuola est, ut notauit Auerroes 3. Collectaneorum, ca. 40. nigredo enim actiua non est, sed neque obiectiue interius causare tristitiam valet, cum non videatur: iam sanguis, qui melancholia contrariatur, audaciam, gaudium, & spem parit: flaua bilis iram excitat ac reliquas sanguineas passiones, pituita declinat potius ad actum tumoris. Horum omnium ratio esse videtur, quod appetitus sensitivus readeat in corporali organo, proindeque egeat temperamenti ad diuersos actus eliciendos: fortassis etiam distinguuntur humores distinctam causant dispositionem in corpore, efficiuntque ut spiritus animales alio, atque alio modo per corpus diffundantur, ac diuersimodè communicetur animalis virtus, unde etiam fit ut humores quoque maximè cogduant ad rerum apprehensiones vno, vel alio modo concipiendas.

CAPVT VI.

Utrum appetitus sensitivus in operibus subdatur motui voluntatis & rationis.

illo: quia verò ab obiecto apprehenso mouetur appetitus, ideo ratio cogitativam persuadens mediantem illa dirigere dicitur appetitum. Atque ita patet conclusiois probatio. Ex qua sequitur altera pars. Nam voluntas appetitum mouet, quia consilium præbendo mediante ratione, non mouet autem necessitando: est ergo motio, & obedientia politica, non despotica. Et confirmatur experientia. Nam que renuente voluntate multi insurgunt motus in appetitu sensitivo, quos tamen ratio, qualis hinc inde suasionibus, refranat: consulendo quidem, & politice regendo, non cogendo.

Sed contra obijci potest, quia sequitur primò appetitum nostrum esse ignobiliorè appetitu brutorum, qui nulli subiacet: negatur tamen sequela, cum potius aptitudo humani appetitus, ut subiiciatur rationi magna perfectio eius sit, siquidem melius est nobilissimo obedire, quàm esse inimicum in imperando: unde ob hanc subiectionem is appetitus capax est virtutis, & vitij, ut cum D. Th. traditur 1. 2. q. 50. & 56. quemadmodum etiam voluntas nostra multo perfectior est, quando spiritus sancti motui subditur, quam cum ipsa se mouet, nam ubi spiritus Domini, ubi libertas, ait Paulus 2. Corinth. 3.

Rursus obijcies, sequi secundò, in appetitu sensitivo humano reperiri aliquam libertatem, quod falsum esse patet, quoniam polita motione voluntatis, aut appetitus potest renuere, aut non potest. Si hoc secundum admittatur, iam seruilitèr obediunt. Si primum, iam liber exit. Quod sanè videntur sentire, qui dicunt politice obedire: nam politica obedientia in libertate fundatur. Caiet. 1. 2. q. 74. art. 4. planè concedit in appetitu sensitivo libertatem ex proprijs: idque deduci putat ex S. Thoma eo loco docente in appetitu sensitivo posse esse veniale peccatum, atque aperte loqui de appetitu secundum se. Nam si de illo ageret, prout regitur à voluntate, non negaret peccatum quicquid mortale esse in illo posse. Et confirmatur vltèrius, quia appetitus sensitivus ob coniunctionem cum rationali capax est virtutis, atque vitij: est ergo aliquo modo liber.

Hæc tamen sententia falsa omnino est, & contra sanctum Thomam 1. 2. q. 24. art. 1. ad tertium, docente in passionibus appetitus secundum se non esse malitiam, ergo neque libertas erit. Et in q. 34. art. 1. scribit omne peccatum in voluntate manere, & in 2. dist. 24. q. 3. art. 2. nullum motum esse de genere moris, nisi ex libertate voluntatis. Atque doctores vniuersi, & Patres in hoc conuenire videntur, ut nullum peccatum si nisi in voluntate consentiente: ergo nullus etiam actus liber est nisi ex voluntatis libertate, cum eo tantum actus qui libet peccatum esse possit, quod est à potentia libera. Unde si in appetitu sensitivo esset libertas, actus illius bonus esset, vel malus, seclusa voluntate, quod Caietanus consequenter quidem admittit, sed tamen contra doctores torrentem ut diximus, Augustin. enim 1. retractationum, cap. 9. & 14. & lib. 3. de libero arbitrio, cap. 18. passim docet voluntate nos delinquere, aut rectè viuere. Idem scribit in lib. de duabus animabus contra Manichæum, c. 10. & de vera & falsa religione, cap. 14. & sermone 43. de verbis Domini Chrysostom. homilia 2. imperfecti, & homilia 13. ad Romanos, Basilii in instructione eorum, qui vitam ducere perfectam volunt. Anselmus in illud Pauli Roman. sexto. Non regnet peccatum in vestro mortali corpore. Origenes homilia 29. in Numeros. Diuus Thomas suprà, & D. Bonauent. in 2. dist. 24. Quod etiam ratione probatur: nam si actus appetitus sensitivi ex proprijs esset liber, ac posset malus esse absque voluntate, sequeretur hominem peccare sæpe contra voluntatem, imò sæpe peccare simul, ac bene agere circa obiectum idem: veluti si voluntas renuere,

Deductio prior pars conclusionis. Oportet posterior.

Obiectio 1. contra conclusionem.

Obiectio 2.

Caietani responsio.

Videatur author 1. 2. tract. 5. dist. 5. sect. 4. & 5.

Resoluitur.

Notatio 1.

Notatio 2.

Conclusio bipartita. Obseruatio 1. pro secundæ conclusionis.

Obseruatio 2.

renueret, appetitus vero cuperet turpe obiectum, similiaque absurda sequi facile intelligitur. Ratio autem à priori est, quoniam appetitus sensitivus sequitur cognitionem sensus, in qua nesci discursus est, neque ratiocinatio, aut inquisitio diuersorum mediorum, neque item vniuersalitas in cognitione, ex qua proinde possit oriri libertas in ipso appetitu, etenim libertas oritur semper ex indifferentia aliqua cognitionis, vt latius dicemus cap. 8.

Ad argumentum ergo aliter respondendum, appetitum scilicet dici politice obedire, non quod obediatur liberè, neque enim in omnibus ad vnguem seruanda est similitudo, sed quia renuere potest: dum namque bonitas aliqua in obiecto apparet, moueri potest ad illius appetentiam, præcipue si ex parte qualitatum naturalium & passionum incitetur, vt enim notauit D. Thom. 1. 2. q. 17. a. 7. alterationes ea, quæ sequuntur ex passionibus, sæpe rationem præueniunt, sæpe etiam physice alterationes sunt præuenientes etiam actum ipsum sensitivum appetitus, suntque proinde naturales vndeque, atque appetitum excitantes: liquet igitur, quomodo appetitus rationi obediatur.

Restat vero dubium, an appetitus obediatur rationi circa obiecta supernaturalia versanti. Apparet enim id impossibile: nam boni spiritualia, vt sic cognitionem sensitivam excedunt, præcipue si vt supernaturalia considerentur: sic enim ad Deum, vt spiritualis finis est, ordinem habent, atque ita sensu percipi minimè possunt. Dicendum breuiter, appetitum sensitivum non posse moueri à supernaturalibus, vt supernaturalia sunt, ob rationem factam: attamen ex cognitione, & amore rerum supernaturalium in intellectu, & voluntate existentibus moueri sæpe appetitum, quod docet D. Thomas 1. 2. q. 31. art. 1. ad 1. & adducens illud Psalmi 83: *Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum*, id quod etiam experientia confirmat, nam ex consideratione supernaturalium oritur sensibilibus delectatio in appetitu etiam vsque ad lacrymas, quod indicio est, ipsummet appetitum ferri per amorem in res illas, quod exponi potest in huc modum. Namque cum in intellectu supernaturalia considerat, formantur in cogitatione phantasmata nonnulla representantia obiecta eadem sub ratione aliqua sensibili, tanquam propria boni ipsius appetentis, vnde iam appetitus ipse mouetur, cogitatione scilicet illarum rerum, atque adeo ferri aliquo modo in Deum ipsum valere: sic mens Deum concipit sub aliqua ratione sensibili, tuncque pariter imaginatio format sibi idolum cuiusdam boni sibi maxime conuenientis sub ratione sensibili, vt creantis, seu conseruantis: hoc ergo modo potest moueri appetitus ex cognitione supernaturalium.

CAPVT VII.

De obiecto, & actibus voluntatis.

Doctrina de voluntate, si radicatus esset inculcanda, oporteret totam fere philosophiam moralem hucaduocare, quod præter institutum esset. Netamen omnino indiscussa relinquatur nobilissima potentia, de illa breuiter dicemus, quæ maxime ad rem pertinere videbantur. Est autem supponendum, voluntatem esse potentiam animæ rationalis, vt sic, atque adeo esse potentiam spiritualem, quæ comitatur intellectum, & organo caret, prout omnia ex supradictis libr. 1. cap. 9. & sequentibus facile constare possunt: atque etiam colliguntur hac potentia non esse distinguendas irascibilem, & concupiscibilem secundum rem sed ratione solum, quod hic multo certius habet-

tur: quoniam potentia hæc immaterialis est, atque adeo vniuersalis in suo genere: his ergo politis restat dicendum de obiecto, & actibus huiusce potentie.

In qua questione materiam de actibus, & obiecto voluntatis simul comprehendimus: siquidem quod ad philosophum naturalem attinet, nihil se re de his discendum restat. Quare circa obiectum fit prima conclusio. Obiectum voluntatis est bonum in communi. Ita patet ex dictis supra in c. 2. Nam obiectum potentie appetitiue oportet esse quippiam sub ratione boni, sed voluntas appetitiua potentia est: ergo obiectum illius aliquam rationem boni induit, & non peculiarem aliquam boni rationem, cum nullum sit bonum, in quod voluntas ferri non possit: tendit ergo in communem rationem boni. Confirmatur primo: quia voluntas est in supremo gradu potentiarum appetentium: ergo est potentia vniuersalissima in illo genere: ergo habet vniuersalissimum obiectum, quod est bonum in communi. Confirmatur secundo: quia voluntas consequitur intellectum: ergo eius actus eo se extendit, quo apprehensio intellectus: sed hic potest apprehendere omne bonum: ergo & voluntas ipsum proflequitur. Quomodo autem voluntas versari queat circa malum, patet ex 2. cap. iam citato.

Sed arguit Scotus, ens etiam non bonum obiectum esse voluntatis, quoniam ens vniuersalius est, quam bonum: nam malum etiam ratione entis habet, voluntas autem potentia vniuersalissima est: ergo, &c. Occurrendum primo, voluntatem esse potentiam vniuersalissimam in suo genere, nempe in ratione potentie appetitiue, atque intra illud genus habere vniuersalissimum obiectum: huiusmodi autem est bonum tantummodo vt patet ex dictis. Secundo occurrendum tam vniuersale esse bonum, quam ens ipsum, cum sit eius passio conuertibilis, malum autem potius entitatem priuati, solumque dicitur ens quatenus suo modo fundatur in bono. Vrgens vltius. Sicut intellectus se habet ad verum, ita voluntas ad bonum, sed intellectus obiectum non assignatur verum, sed ens ergo neque voluntatis debet assignari bonum. Respondeo questionem esse de nomine, quia obiectum etiam intellectus potest assignari verum, communiter tamen ponitur ens, quia est clarius eius ratio. Interest nihilominus inter intellectum, & voluntatem, quod ille non quolibet actu nunc distinet rationem veritatis in actu signato, licet quolibet noscat rationem entis in re qualibet, attingendoque entitatem, attingit etiam veritatem: per actus tamen assentiendi cognoscit intellectus distinet veritatem, ac ratione talium assensuum proprie dictum est intellectum versari circa verum, nam simpliciter cognoscendo circa ens potius tanquam circa rationem cognitā versatur. At vero voluntas ad amandum non solum requirit cognitionem rei, vt res est, sed etiam cognitionem obiecti secundum bonitatem, nam nisi ratio boni non cognoscatur, voluntas non appetit, quod indicio est, voluntatem ferri in rationem boni, tanquam in rationem volitam. Est ergo inter utramque potentiam patens discrimen hac in parte. Et hæc de obiecto voluntatis.

Circa actus deinde oportet notare eos omnes in voluntate reperi, qui reperiuntur in appetitu sensitivum, amor, desiderium, spes, &c. licet modo sint voluntati, quoniam in voluntate spirituales sunt, neque dependentes quoad esse à passionibus corporis etiam naturalibus: ac ferri possunt circa finem, & circa media, cum utraque habeant rationem boni, & utraque ab intellectu sub propria ratione suæ bonitatis, medijs scilicet atque finis cognoscatur. Hinc tam colligitur prima diuisio actuum voluntatis.

SVARE Z
de Angelis, op
m 6. d. 1. rum, et
anima.

Tom. 1. 1. 1.
1. 1. 1.
1. 1. 1.

D. V. 2.

Notatio pro
materia dis
cussione.

Videl. 3. de
Ang. c. 1. n. 2.
& 8.